



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.  
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,  
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac  
sumptu haud ita modico ...**

**Rupert <von Deutz>**

**Colonia, M. D. XXVI.**

**VD16 R 3796**

Propositio, dicere aliq[ui]d de hu[m]ana creatura ad laude[m] sanctæ  
trinitatis, ad honore[m] Sp[irit]us S. de patre & filio p[ro]cedentis, cuius in  
ista creatura ualde clara rutilant dona.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

# FRUPERTI ABBATIS XXXIX.

TVITIENSIS DE GLORIFICATIONE TRINITATIS, & processionē sancti spiritus. Liber .IIII.

Propositio, dicere aliquid de humana creatura ad laudem sanctę trinitatis, ad honorem spiritus sancti, de patre & filio procedentis, cuius in ista creatura valde clara rutilant dona. Caput .I.



APIENTIS VIRI EST, DVM EDIFICAT domū suam, fodere in altum, & ponere fundamenta supra petram. Descendit pluuia (ait dominus) uenerūt flumina, & flauerunt uenti, & irruerunt in domū illam, & nō cecidit, fundata enim erat supra petram. Nimirū illi uiro sapienti aliquatenus & nos extremum cupimus assimilari. Quotiens enim cupientes exigere aliquod boni ac fidelis sermonis ædificium, quærimus ac tenemus aptum siue cōueniens quodlibet capitulum de autoritate diuina, autoritate canonica siue Prophetarū siue Apostolorū, ut ædificemus super fundamentum illorū, profecto fodimus in altū & ponimus fundamenta supra petram. ¶ Ac proinde si de

Mat. 7  
Ædificiū supra petra pōnendum.

Pluuia sophistarum flumina hæreticorū

scendant loquaces pluuia secularium maximeq; sophistarū odibilium, quibus sua stipula suūq; placet scenum, nostrum aut uile est aurum siue argentum. Et nostri lapides pretiosi contemptibiles sunt: si (inquam) ueniant flumina hæreticorū, & irruant in domū nostram, non cadet, quia supra petram fundata est. Igitur de humana creatura iam dicturi aliquid ad gloriam & laudem sanctę trinitatis, ad honorem spiritus sancti de patre & filio procedentis, cuius in ista creatura ualde clara rutilant dona, quærimus hoc fundamentum, & in omni portiuncula sermonis nostri certum de sanctis scripturis tenere cupimus capitulum: quia uidelicet hoc est (sicut iam diximus) fodere in altum, & ponere fundamenta supra petram. Primum capitulum hoc est.

De proposito dei dicentis, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Caput .II.



Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hinc ait fidelis Dauid. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, & sanctus Iob: Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu. Fodiens hic in altum, ut fundamenta ponam, qualem inuenio petram, nisi ipsam beatę trinitatis intentionem, dicentis: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram? Quænam erat intentio, uel quid erat in intentione eius, nisi is qui nunc sedet ad dexteram patris, mediator dei & hominum homo Christus Iesus? Si enim (quod sæpe dictum semperq; sciendum est) non solum per ipsum, uerumetiam (ut Apostolus ait) propter ipsum oia, quantum magis humana propter ipsum facta est creatura: Cum ergo dicit: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, parum est ad consummationem ppositi dei, hoc attendere, quod omnes electi qui secundum ppositum uocati sunt sancti, & rationales creati, & similes deo sunt futuri, tanq; patri suo filij, iuxta illud: Charissimi nunc filij dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus, scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quonia uidebimus eum sicuti est, parum (inquam) hoc est, nisi hunc hominem attendas, qui ipse est (ut Apostolus ait) imago dei inuisibilis, & sicut idem alibi loquitur: splendor glorię & figura substantię eius. ¶ Nunquid enim cum hæc diceret beata trinitas: Faciamus hominē & cætera, de homine isto nihil cogitauerat aut proposuerat: sed postquam peccauit Adam tūc demū istud cogitauit deus, ut hō fieret dei filius, ob redimendū humanum genus: Diximus de hoc in precedentibus, cum de angelis loqueremur: quia si uerū dicit, immo quia uerum dicit euangelista, quod factum est in ipso uita erat, nihil excipiens, præmiserat enim, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: multo magis homo iste ab ipso uer

Gene. 1  
Psa. 139  
Iob. 30

1. Tim. 2.

Heb. 2  
Faciamus hominē ad imaginē & similitudinē.  
Rom. 8.  
1. Ioh. 5

Coloss. 1  
Heb. 1  
Incarnatio uerbi ab æterno præordinata.

Iohan. 1.

D 2 boin